

carcerem custodibus, ne muneris suo ulla in re desint, aut quid aliud committant in damnum carceratorum.

Sollicitè propere à investiget de cura spirituali carceratorum, & rursus de corporali, de quibus illorum causarum expeditione, & quomodo cum illis agatur ab his singulis, ad quos spectat.

Visitet pluries, & saltem bis in hebdomada singulos carceratos, etiam qui in carceribus secretis sunt, habito consensu Vicarii criminalis, seu cum ejus interventu, vel Promotoris Fiscali, alteriusve quem Vicarius criminalis mauerit, si id expedire iudicaverit.

Sæpiùs etiam in hebdomada convocet Præfectum spiritualem carcerum, cum eoque tractet ea omnia, quæ ad morum correctionem, corporisque carceratorum necessitates, & egestates pertinent, ac prompto animo audientiam ea, quæ in dies ab ipso referuntur, & quæ provisione indigere cognoverit, omni sollicitudine, ut opus erit, provideat, procuretque.

Si carceratos ipsos universos vel singulos, morum disciplina, correctione, monitioneve indigere invenerit, oportune admoneat; & corripiat; si alios muneris suo deesse singulos sui officii moneat, excitetque, tum Vicarium causarum criminalium; & generalem etiam & Archiepiscopum ut opus fuerit, adeat.

XXXV. Non contentus si per alios Episcopus carceratorum curam agat, decernit in suo Concilio Mediol. III. tit. de his quæ ad Episcopale forum pertinent, ut, Episcopus non solum per certos hemines, ut primum à nobis constitutum est; sed etiam ipse aliquando in anno carcerem visitet; in eoque inclusos paternâ charitate consoletur, pieque, in Domino adhortetur.

Videat item, ut eis ad corporis sustentationem, & ad iustum patrociniûm non desit quidquam; tum in primis non libit spiritualis lectio, non crebræ religiosorum hominum cohortationes, tum ne denique aliquid ad animæ salutem.

XXXVI. Concilium Toletanum anno 1565. Act. 2. Decreto 13. dicit, Episcopi saltem quolibet mensis carceres, quos ad Reorum custodia ad opportunos habere debent, ipsosque Reos illic detentos per se ipsos, si præsentibus in eodem loco sint, visitare teneantur.

XXXVII. Quam optanda sit hodie hæc Episcoporum & Pastorum in visitandis carceribus, & Reis illic detentis cura, nemo non fatebitur, qui attendit, quàm misera & diuturna solet esse in carceratorum conditio, in tantum subsidio temporali destitutorum, ut antequam nocentes declarentur, morte durius supplicium sustinere cogantur. Cui accedit privatio pene omnis spiritualis solatii, quod tamen miseris illis in eo statu constitutis summè necessarium est; ut vel maxime hic sua erga hos miseros & desolatos teneantur Pastores misericordiz & pietatis viscera aperire. Si omnibus exprobraturus sit Christus: In carcere eram & non visitastis me, expendant Pastores, quàm horribile eis futurum sit, si oves suas in carcere constitutas non visitaverint?

XXXVIII. Si visis informationibus, & attentis qualitate delicti & personæ aliisque circumstantiis, videatur non esse decernenda apprehensio personæ, tunc locus erit citationi ipsius accusati vel inquisiti.

XXXIX. Citatio autem hæc duplex est, personalis & simplex. Personalis dicitur, eo quod citatus personaliter coram iudice comparere tenetur, & est; hæc citatio affinis ipsi citationi reali seu apprehensionis; ac propterea, qui eo modo citatus est ad respondendum, quod nos trates vocant daechsel personeel, dicitur citatus ut respondeat pede ligato, hoc est, uti captivus, quemadmodum notat Damhouderus in Praxi Rerum crim. c. 34. quare & huiusmodi citatio ipsam citatum infamare supra notavimus.

XL. Hinc in Edicto perpetuo de anno 1611, eadem moderatio præcipitur in decernenda citatione hæc personali, quæ servanda est in Decreto apprehensionis; interdiciturque art. 39. Officiariis procedere ad capturam personæ, aut citationem ipsius personalem nisi in tribus casibus; scilicet, si

reperiatur in flagranti delicto, si Judices decreverint, visis prævis informationibus Reum esse apprehendendum, vel citandum personaliter; vel in casum accusationis & ad instantiam Partis formalis, in locis in quibus hæc est in usu. Verba articuli sunt: Soe verbieden wy aen alle de voorseyde Officieren te procederen tot apprehensie vande personen hebbende fixe wooninghe, noch de selve te daghen om te compareren in persone, ten zy om eene vande drye naestvolgende saken: te vreten dat hy bevonden zy in't teghenwoordigh misdact; dat de Rechteren ghedecerneert hebben dat hy ghevonghen vande, ofsi comme compareren in persone op de informacien preparacoe by den ghesien, ofsi vvel by accusacie, ende ter instantie van Partye formele ter plaesem daer die vord ghebruyckt. Id est: Prohibemus prædictis quibuscumque Ministris, ne personam ullam fixum habitentem domicilium apprehendere moliantur, neque aliquem citent ut personaliter compareat, nisi ob unam ex tribus causis infrascriptis, videlicet si quispiam deprehensus fuerit in flagranti delicto, si Judices decreverint in carcerandum aut eum personaliter mandaverint comparere, expensis per eos prævis inquisitionibus; aut demum ratione accusationis, & instante parte formalis, in locis in quibus id obtinet.

XLI. Citatus personaliter debet comparere in persona, nec admittitur Procurator. Si tamen infirmus sit, aut alio legitimo impedimento detineatur, potest mittere excusatorem, quem Galli vocant exoniatorem; de quo agit Rebusius in suo Tractatu De Excusationibus sive Exoniis; ubi n. 18. dicit, quod, Curia Franciæ admittant excusationem in criminalibus, quando per se debet quis comparere, & non per procuratorem; tunc si citatus ille morbo sonico detineatur, poterit excusatorem mittere ad eum excusandum; non autem reciperetur, si causâ innocentiz allegaret, & ita servant etiam suprema Curia Franciæ. Latè ibidem examinat quæ sint dicenda legitima impedimenta ob quæ mitti possit excusator; monetque n. 60. quod, hodie ista excusatio seu excusatio tantum in Francia recipiatur in criminalibus, quando reus debet comparere personaliter; & sic videt in forense iudicio servari; in Civilibus vero Procuratorem mittere debet.

XLII. Hæc & praxi Belgicæ conformia esse testatur Damhouderus loco citato c. 25. eijus hic est titulus: De exonando in materia criminum. Item Gerardus à Walsenaer in in Praxi judiciaria c. 27. n. 4. dicit; moribus nostris quandoque per libellum supplicem à Curia impetrari, ut litteræ citationis ad personaliter comparandum mutentur in simplicem citationem ad tollendam infamiæ notam, si delicti levitas id permittat.

XLIII. De hac citatione agitur in Ordinationibus Curie Brabantiz art. 454. & sequentibus, mandaturque art. 457. ut captivi, vel citati personaliter ex Decreto Curie non relaxentur, priusquam ipsi responderint, & Fisci Regii aut alii Officiales suas cæperint conclusiones, & ordinatum fuerit, quâ formâ in materia proposita procedetur.

XLIV. Etiam in Curis Ecclesiasticis citationi personali in criminalibus locus est, si eam decernendam iudex iudicaverit; imò Ordinationes Curiarum Eccles. Provinciæ Mechl. tit. 11. art. 14. dicunt, quod, citatus in causis officii, deflorationis, oppositionis bannorum, vel alimentationis prolium, tenebitur in persona primâ vice comparere, alioquin contumax erit, nec poterit Advocatum, vel Procuratorem adhibere, nisi ad articulos, illorumque circumstantias personaliter responderit.

CAPUT III.

De Examine Rei, & de tortura.

1 Promotor juxta Ordinationes Curiarum Eccles. debet intra triduum exhibere libellum contra incarcerationem.

2 Similiter

2 Similiter Fisci & Officiales Regii infra triduum exhibere debent sua interrogatoria.

3 Interrogatoria hæc sunt articuli informationis prævia, super quibus Reus est examinandus.

4 Reus à iudice vel Commissario indilatè examinandus; & quid in hoc examine attendendum?

5 Reus sine mora ad interrogata respondere tenetur.

6 Et quidem ante datas defensiones, aut copiam interrogatorum.

7 Responsiones Rei in scriptis excepta communicanda Promotori aut Fiscalibus; qui us visis conclusionem capiunt. (petuum an. 1611.)

8 Quid circa conclusionè capiendam statuat Edictum per datum?

9 Si videatur confessio Rei sufficiens, petitur jus dici: si minus, petitur, ut testes recolligantur, aut si opus sit, confrontentur.

10 Quare & quomodo testes auditi in informatione debeant recolligi sive reexamini?

11 Quid confrontatio; & quando adhibenda?

12 Testes priùsquam confrontentur, debent esse recollecti.

13 Datur Reo facultas reprobandi testes ante confrontationem, sed non post.

14 Reus non relaxandus ante factam responsionem.

15 Processus criminalis non semper eodem modo instruitur.

16 Si Reus ex sua confessione & informatione parum grave tur, processus instruitur modo servari solito in civilibus.

17 Alias extraordinariè Reo in carcere constituto.

18 Reo semper danda sive defensiones, & dilataciones sufficientes ad eas faciendas.

19 Quomodo nominandi & examinandi testes, quos Reus ad probandam innocentiam, aut reprobandos testes contra se productos producere vult.

20 De iure decretalium nomina testium, & eorum depositiones Reo communicanda.

21 Non tamen communicanda, priùsquam sint recollecti seu reexaminati.

22 Ob periculum imminens testibus, ex Ordinationibus Curiarum Eccles. depositiones non sunt publicanda.

23 Quomodo huic periculo aliquid occurrere vel ut?

24 In processu criminali examinando magna discussione opus est. (clarè & indubitate.)

25 Ubi de pœna corporali agitur, requiruntur probationes

26 An ex iudicis & conjecturis concludi possit, & locus sit iuramento suppletivo.

27 An spontanea confessio Rei ad condemnationem sufficiat; hodie, dum plena probatio non habetur, solet nonnumquam Reus applicari tortura; seu questioni.

28 Aliqui hanc torquendi praxim improbant, quorum primum argumentum proponitur.

30 Secundum argumentum contra praxim torturæ.

31 Tertium argumentum.

32 Convenit inter Doctores, Reum torquendum non esse, dum alio modo veritas haberi possit.

33 Id ipsum expressum in Edicto Philippi II.

34 Injustum apparet, Reum non convictum de crimine puniri per tormenta torturæ. (meretur.)

35 Confessio Rei facta in tortura exigua aut nullam fidem

36 Ex hodiernâ praxi confessio facta in tortura debet renovari à Reo extra torturam

37 Sed nec hæc renovatio magnam addit fidem; & quare?

38 Plura argumenta contra usum torturæ, præsertim in examinandis maleficis remissive.

39 Certum est, torturam cum magna moderacoe & circumspessione adhibendam.

40 Tortura non imponenda nisi ob crimen admodum grave.

41 Requiritur indicio gravia & conformia tali medio de crimine commissio contra Reum. (videatur.)

42 Videtur requiri tanta probatio, ut sola confessio deesse

43 Non sufficit testimonium unius, quantumvis magne auctoritatis & fidei.

44 Plures persona exemptæ à tortura, ac nominatim mulieres prægnantes.

Van Eijpen Jur. Eccl. P. III.

45 Si dubium sit, an mulier sit prægnans, à tortura absistendum.

46 Tortura adhibenda præsentè iudice, ipsiusque arbitrio.

47 Hodie adhiberi solet, ut habeatur Rei confessio & quare?

48 Quare in Curis Ecclesiasticis Rei non torquantur?

IN Ordinationibus Curiarum Eccles. Provinciæ Mechl. tit. 11. cap. 55. statuitur: "Si Promotor per incarcerationem inceperit, statim, vel ad minimum infra triduum, libellum exhibebit super excessibus & delictis Rei, qui tradetur Judici, aut ejus Commissariis à iudice nominandis.

II. Similiter Ordinationum Curie Brabantiz art. 454. statuitur, ut si quis ex Decreto Curie captus fuerit, aut personaliter citatus, Fisci Regii aliique Officiales tenebuntur intra triduum exhibere interrogatoria, sive gravamina, concepta super delictis & malefactis prædictorum captivorum, tradenda Commissario à Curia ad examen captivorum vel citatorum deputato.

III. Hæc interrogatoria non faciunt libellum, sed potius sunt ea, quæ per informationem præviam Fiscus seu Procurator Regius ad onus captivi, sive capti accepit. Unde Damhouderus in Praxi Rerum Criminal. cap. 30. num. 1. ait: "In crimine criminaliter intentato per Fiscum excessus (potissimum malefico capto) nullam Fiscus petitionem sive libellum format; sed Curia illico præviam informationem communicat: cupiens, ut maleficus Reus super ejusdem informationis articulis, ligato pede, examinetur.

IV. His interrogatoriis Judici sive Commissariis exhibitis, tunc juxta citatum articulum Ordinationum Curiarum Ecclesiasticarum "Judex vel Commissarius in præsentia ipsius Promotoris, vel etiam Advocati Fiscalis (si adesset) secundum prædictum libellum Reum examinant, diligenterque animadvertent, si Reus constans sit, an vacillet, & de super iudicium suum separatim annotabunt, & Judici exhibebunt."

Hæc desumpta apparent ex citato articulo Ordinationum Curie Brabantiz.

V. Et quidem in criminalibus Reus in carcere constitutus, vel personaliter citatus, & comparens, debet sine mora ad interrogata respondere; neque datur ei dilatio ad deliberandum; idque observari generaliter in praxi testatur Julius Clarus in Praxi Criminali q. 45. n. 7.

VI. Insuper ibidem num. 8. testatur, quod de consuetudine Reus interrogetur & examinetur ante datas defensiones, & copiam indiciorum sive informationum; allegatque ibidem plures Practicos, qui afferunt, ita quotidie praticari; ac esse receptum styllum, usum & consuetudinem.

VII. Post hæc decernitur in citatis Ordinationibus Curiarum Eccles. "Responsiones Rei in scriptis redactæ Promotori tradentur, qui, communicato consilio cum advocato Fiscali, demum concludet contra Reum pertinentem, & offeret Promotor probare, deinde captivus capiet terminum ad se justificandum; qui si aliquas justificationes, factæque contraria exhibuerit, scripto poterit Promotor replicare, & procedetur ulterius, prout superius statutum est; salvo, quod in his causis incarcerationum de triduo ad triduum procedetur."

Similiter in dictis Ordinationibus Curie Brabantiz art. 455. mandatur, responsiones Rei in scriptis redactæ communicabuntur Fiscalibus aliisque Officialibus, ut iis visis capiant conclusionem pro exigentia materiæ, & prout ipsis expedire videbitur.

VIII. Et ne Officiarii cavillos patiantur, super formalitate conclusionis, suffecerit illos ex informationibus, confessionibus, & probationibus delictum proponere, ut puniatur delinquens pro ratione juris, Edictorum, seu aliâ pœnâ, quæ iusta, & æqua videbitur; ita cautam Edicto perpetuo Alberti & Isabellæ anni 1611. art. 41.

Uuuu IX.

IX. Deinde 476. statuitur, quod si confessionem Rei reperiatur sufficientem, petent jus super ea dici; Sin minus, ordinabitur, ut testes recolligantur, & si opus sit, confrontentur; idque unâ dumtaxat dilatione ex moderatione Curia. Verba articuli sunt: *Ende indien sy de confessen sufficient bevinden, sullen recht nemen, ende begeren op de selfde: ende ingevalle geen, soo sal men orderen, dat de getuyghen gerecolleert vworden, ende soo verre het noods is, geconfronteert: ende om dat te doen en sal maer dilay ghegeven worden ter discretie ende moderate van den Hove.* Id est: Quod si confessionem reperiatur sufficientem, jus desuper pronuntiarî requirit: sin minus, statuetur, ut testes iteratò interrogentur, & si opus, cum reo cõponantur, quod ut fiat, prorogatio non concedetur, nisi pro prudentiâ & moderatione Curia.

X. De recollectione seu reexamine testium in criminalibus agit Julius Clarus citatâ 9. 45. dicitque, quod si Reus delictum negat, debeant testas; qui in informatione prævia auditi fuerint, rursus examinari citato Reo ad videndum, eos jurare. Et valde erraret iudex (ait) qui omiâ tali repetitione testium procederet ad torturam vel condemnationem: nam testes recepti ante litis contestationem, nullam fidem faciunt contra Reum, cum sint examinati ipso non citato. Et adverte, quia hæc repetitio fieri debet, cum omnibus illis qualitibus, quæ requiruntur, ubi isti testes repetendi nunquam fuissent examinati.

XI. Interdum quando testis aliquid deponit directè contrarium ei, quod dixit Reus; vel ipse testis deponit de visu, tunc testis iubetur suam depositionem renovare in præsentia & conspectu ipsius Rei; atque hæc renovatio depositionis vocari solet *confrontatio*, quasi facta fronte ad frontem, uti notat Damhouderus in Praxi rerum criminali, cap. 47. n. 2. additque num. 3. quod "similem quoque confrontationem, nempe Judex exerceat, quoties duo testes in materia criminali disconveniunt, ita ut alter suspectum accuset, alter excuset; maxime si aliter veritas constare nequeat." Vide etiam Julium Clarum loco citato *quasi. 45. num. 14.*

XII. Juxta Ordinationes Curia Brabantia art. 461. testes *confrontandi* debent esse recollecti sive reauditi, & tum demum super his, in quibus contra accusatum persistunt, *confrontari*: quod & non obscure supponit art. 56. tit. 11. Ordinationum Curiarum Ecclesi. Provinciae Mechliniæ citandus.

XIII. Insuper art. 460. volunt dictæ Ordinationes Curia Brabantia, præviè ad confrontationem interrogari Reum, num testes contra se productos reprobare velit; vel itque habere dilationem ad absolvendam reprobationem, ut in confrontatione hujus reprobationis possit haberi ratio; si autem Reus dicat, se nolle reprobare, ad ea post factam confrontationem non admittitur. Verba articuli sunt: *al eermen procederen sal totter voornoemde confrontationen, soo sal men vraghen den geaccuseerden, oft by de getuyghen, die tegen hem geproduceert geveest hebben, wilst reprocheren oft wederlegghen, ende hebben dilay om van syne reprochen te moghen dienen, om in de confrontatie daer op te nomen alsulcke consideratie als te behooren sal, ende indien de geaccuseerde seeght niet te vullen reprocheren de getuyghen, soo en sal hem daer naer niet toegelaten vworden om t selve te mogen doen.* Id est: Antequam procedatur ad prædictam testium cum reo commisionem, interrogabitur accusatus, utrum testes contra se productos reprobare aut rejicere desideret, prorogationemque cupiat, quâ eorum refutationem instruat, ut in dicta ejus cum testibus commisione, istius, ut æquum fuerit, ratio habeatur. Si autem accusatus dicat, se nolle testes reprobare, non erit ipsi deinceps licitum id facere.

XIV. Statuunt autem allegatæ Ordinationes Curiarum Ecclesi. cit. a. 56. "Nunquã Reus in carceribus relaxari poterit ante responsonem super libello, & conclusionibus Promotoris, vel etiam (si Judex partibus auditis ita faciendũ decreverit) antequam testes super informatione præparatoria auditi, sub juramento repetiti, & cum eodẽ reo confrontati fuerint, idque etiam præstita cautione, quã Judex secundum delicti & personarum qualitatem præstandam esse decreverit."

Hæc omninò conformia sunt iis, quæ decreta sunt art. 457. 458. & 459. Ordinat. Curia Brabantia: uti & stylo Parlamenti Mechliniensis tit. De Processu criminali art. 5. 6. & 7.

XV. Processum criminalem non eodem semper modo instrui supponit citatus art. 457. Ordinat. Curia Brabantia vetans relaxationem citati *personaliter*, priusquam determinatum sit, quo modo in materia hac erit procedendum: quod & consonat stylo Parlamenti Mechliniensis dicto art. 5. cujus Styli meminit Damhouderus in Praxi rerum criminali. c. 34. n. 1.

XVI. Dicit autem Damhouderus, si Reus interrogatus *personaliter* sive *pede ligato* "in respondendo nihil fateatur, nihilque affirmet ubi contrarium, causæve suæ damnosum, neque item admodum gravetur ipsa informatio, ne prævia, recipitur tum ad processum ordinatum, in quo admittitur occupaturus per procuratorem, & ut defensiones suas peragat scripto."

XVII. Verum si idem citatus (pergit Damhouderus) interrogatus *pede ligato*, ceperit quippiam conscribere sibi, damnosum ac nocerum; aut si inter respondendum quod variet, dubiose sententiis fluctet & hæset, præbens hæc, similive occasione sese suspectum, undique evidentiâ indiciorum, aut suspicionum adversus ipsam nascantur argumenta: decernit tum Curia, eundem citatum debere recipi in carceris custodia, ut ibi processus ipsius agatur, & tractetur."

XVIII. Quomodo cum processus criminalis agatur, danda sunt Reo suæ defensionis, & dilationes competentes, ut innocentiam suam probare queat; ita tamen, ut in causa incarcerationum Ordinationes Curiarum Ecclesi. art. 55. procedi velint de *triduo ad triduum*.

XIX. Et art. 462. ordinat. Curia Brabantia, & art. 20. Parlamenti Mechliniæ. decernunt, ut si accusati allegent aliqua facta peremptoria in jure fundata ad ostendam innocentiam, vel reprobandos testes, jubebuntur incontinenti nominare testes, quibus hæc facta credunt probanda. Qui testes sic designati examinabuntur per Commissarios Curia expensis Accusatorum, si ferendis expensis sint sufficientes, aliâ expensis Principis; uti præscribitur art. 463. Ordinat. Curia Brabantia, & art. 11. Parlamenti Mechliniæ.

XX. Ut autem Reo sua prohiat defensionis, necnon dicta ipsorum publicanda ad effectum, ut possit seipsum defendere, & suas exceptiones proponere versus eorum dicta & personas, quemadmodum expressum est in Decreto Concilii Lateranensis sub Innocentio III. in Cap. 24. *De Accusat.* ubi in terminis decernitur, Inquisito exponenda esse illa capitula, de quibus fuerit inquirendum, ut facultatem habeat de defendendo seipsum: & non solum dicta, sed etiam nomina ipsa testium sunt ei (ut quid & à quo sit dictum appareat) publicanda, necnon exceptiones & replicationes legitime admittendæ: ne per suppressionem nominum infamandi, per exceptionem verò exclusionem, deponendi falsum audacia præbeatur."

XXI. Copia tamen processus sive dictorum non datur, nisi testes auditæ in processu informationis fuerint recollecti, sive ipso reo citato rursus legitime reexaminati, uti notat Julius Clarus *quasi. 49. num. 8.* atque ita practicati.

XXII. Verum quia ob potentiam accusati aut consanguineorum vel amicorum ejus subinde timendam est, periculum grave imminere testibus, si eorum nomina & depositiones publicentur, per Ordinationes Curiarum Ecclesi. tit. 11. a. 49. decretum, ut "in criminalibus Judex depositiones testium non publicet, sed solum nomina eorum communicabuntur Partii."

XXIII. Eandem ob causam, referente Julio Claro citatâ 9. 49. n. 3. "inolevit practica, quod dentur nomina testium confusa, & separata à dictis testium ob potentiam Reorum, ne possint scire, quid ab eorum unoquoque dictum fuerit." Sed quàm facile in notitiam hanc venire queat Accusatus, aut ejus familiares, nemo non intelligit, qui advertat, quàm proclives sint futuri testes ad revelandas suas de-

depositiones, quæ Accusato potenti contraria non fuerunt: de quo tunc hanc difficile erit concludere, qui graviores contra Accusatores depositiones dederint. Quamvis forma Juce communit præscripta æquior appareat; utpote amplioem dans facultatem Reo se defendendi.

XXIV. Processu plene instructo, Judicis est processum diligenter examinare, & discutere, num probationes contra Reum sint sufficientes ad condemnationem: cumque in causis criminalibus majus præjudicium & periculum toleat versari, quàm in Civilibus, etiam omnia hic accuratius perpendenda sunt.

XXV. Et quidem in causis criminalibus, præsertim si agatur de crimine atroci & capitali, vel quod pœnâ corporali plectendum est, requiri non tantum plenam probationem, sed indubitata, & luce meridiana clariorem, communiter tradunt Doctores & Pragmatici argumento *L. fin. Cod. De Probationibus*.

XXVI. Hinc plures contendunt, ex iudiciis & præsumptionibus ad condemnationem in criminalibus, ubi de pœna corporali infligenda agitur, procedi non oportere; uti videlicet apud Damhouderum in Praxi rerum criminali. c. 54. & Julium Clarum in Practica criminali 9. 21. 22. & 66. & 9. 63. ostendit, in similibus causis criminalibus non deferri juramentum suppletivum; tamen etiam cum semiplena probatione concurreret probitas Partis seu Accusatoris.

XXVII. Ulteriùs si agatur de crimine capitali, iudex nequidem ad condemnationem procedere potest ex spontanea & ulterione Rei confessione: "sed practica est, ait Julius Clarus *quasi. 65.* quod quando Reus est sponte confessus, iudex mittet eum in carcerem, & apud acta præfigat ei tertium ad allegandum quidquid vult, ne condemnetur, & ad omnes suas defensiones faciendas: quo elapso, si nihil probeat, potest postea condemnari. Et hanc practicam servat totus mundus, ut dicit Salicetus in *L. 2. Cod. de Causis Rerum*." Hactenus Clarus, qui addit, quod practica generalis observet, ut etiam confessio detur terminus defensionis, licet dilationem ipse non petierit. Vide Antonium Fabrum in Codice lib. 9. tit. 21. *Desinit.* 8. ubi ostendit, confessioni subinde deferendum esse.

XXVIII. Si iudex videat, probationes non esse omninò convenientes & claras, non poterit Reum condemnare, præsertim ad pœnam capitalem vel corporalem; sed si habeatur semiplena, aut etiam plusquam semiplena probatio, tum hodie nonnumquam in iudiciis secularibus Reus apud torturam sive quaestioni; ut vi tormentorum à Reo confessio criminis extorqueatur.

XXIX. Quidam hanc praxim Christiano iudici licitam esse negant, eo quod iniquum, & à ratione omninò alienum appareat, probationes à Reo ipso petere, eumque tormentis afficere, antequam probatus sit nocens, ut se ipsum nocentem esse fateatur.

Unde hic rectè jam pridem dixit S. Augustinus lib. 19. *De Civitate Dei* cap. 6. "Cum quaeritur, utrum sit nocens, cruciatur; & innocens luit pro incerto scelere certissimas pœnas, non quia illud commississe detegitur, sed quia non commississe nescitur, ac per hoc ignorantia Judicis plenè tumque est calamitas innocentis."

XXX. Fatendum quoque est, hanc probationem omninò ancipitem esse, nec certæ fidei: quia aliis patientia facilè mendacium facit, aliis infirmitas necessarium: ut rectè expressit Ulpianus in *L. 1. §. 23. ff. De Quaestionibus*, dicens: "Quaestioni fidem non semper, nec tamen nunquam habendam, Constitutionibus declaratur: etenim res est fragilis & periculosa, & quæ veritatem fallat. Nam plerique patientia sive duritia tormentorum ita tormenta contemnant, ut exproxi eis veritas nullo modo possit: alii tantà sunt impatientia ut in quovis mentiri quàm pati tormentum velint. Ita fit, ut etiam vario modo fateantur, ut non tantum se, verum etiam alios comminentur."

XXXI. Ulteriùs dicant dicti Auctores: Vel Reus de crimine ipso est plene convictus, vel non. Si sit convictus, crimenque plene probatum, Reus tormentis succiendi non videtur. Van Espen *Jur. Eccl. P. III.*

est, at confessio ab ipso extorqueatur: cum à condemnatione confessio necessaria non sit, ubi aliunde de veritate commissi criminis sufficienter constat, uti expressè cavetur in *L. 9. ff. De Quaestionibus*, ubi dicitur rescriptum esse ab Imperatore, nec de servis quaestione habendam, nisi dum aliter veritas haberi non potest. Quod repetitur in *L. 12. Cod. eod.*

XXXII. Unde teste Julio Claro in *Pract. crim. q. 64. n. 5.* concludunt omnes Doctores, Reum torqueri non posse, si aliter constat de delicto. Dicitque Damhouderus in *Praxi crim. c. 35. n. 3.* quod "Judex ad quaestionem seu torturam, proslire non debeat, si aliquã aliâ viã leviori vel veriori, possit objecti criminis veritas inveniri ac haberi, quamtumque etiam ad sint vel verisimilia indicia." Testaturque, comunem esse Doctorum opinionem, "quod probato delicto, iudex nequeat Reum quaestioni tradere."

XXXIII. Id ipsum cautè est Edicto criminali Philippo II. Regis Catholici de 9. Julii 1570. a. 42. ubi vetatur applicatio ad torturam, dum habetur probatio criminis certa & indubitata, abrogatis contrariis quibuscumque consuetudinibus, Statutis aut observantiis, quæ potius abusus sunt. *Daer die prœve seker en ontvwyffelachtigh is, verbiende vry de pynbanck appliceren: abolerende oock inden selven gevalle, alle costynne, statuyren oft observantien ter contrariet, die eer abusysen sijn dan anderssins.* Id est: Cum probatio certa & indubitata fuerit, inhibemus, ne inflata in reos tormenti quaestio adhibeatur, abrogantes etiam in hoc casu quamlibet consuetudinem, statutum, aut usum contrarium, quæ potius tanquam abusus reputanda sunt.

XXXIV. Si verò de delicto non plene constat, sed tantum semiplena, aut saltem non plena probatio habeatur, æquitate & rationi naturali omninò contrarium apparet, hujusmodi non convictum, & quem esse nocentem nondum probatum est, condemnare non ad penam dumtaxat pecuniariam, sed corporalem, ipsâ subinde morte duriorum; uti est supplicium torture, quale hodie haberi consuevit, & describit Damhouderus cap. 36.

XXXV. Denique dicunt hi Auctores, per confessionem Rei in tormentis factam, Judicem què incertum esse de innocentia vel nocentia Accusati, atque ante elicitam hujusmodi confessionem: quandoquidem, ut antè notatum est, admodum fragilis ac dubia sit tormentis hujusmodi extracta confessio.

XXXVI. Confessionis istius fragilitatè nemo negare potest; ideoque uno consensu tradunt Criminalistæ, & prætexos hujus patroni, confessionem tormentis extortam fidem exigentem aut nullam mereri, nisi eam Reus extra torturam renovaverit & confirmaverit; quemadmodum citato Edicto criminali Philippo II. art. 4. præcipitur; ut qui in tortura confessus fuerit crimen, rursus intra unum diem sequentem interrogabitur extra torturam & locum torture, ut videatur, an in confessione facta persistat.

XXXVII. Verum nec hæc approbatio, praxi hodiernâ spectatâ, fidem magnam facere potest. Si enim confessio in tortura facta retractet, solet rursus torture applicari, quod & Edictum arbitrio Judicis committit. Hanc reapplicationem ut evadat Reus, quidnisi facillè confessionem licet falsam confirmet; præsertim cum ei tormentorum & pœnarum recens sit memoria, & vivax adhuc sensus? Accedit, quod hæc repetitio torture nonnumquam sæpius fiat.

XXXVIII. Ob hæc aliaque jam pridem in usum torture inventus est Ludovicus Vives in notis ad S. August. lib. 19. *De Civitate Dei* c. 6. & plura argumenta recenter congestit August. Nicolas Contiliarius Regius in Parlamento Burgundia in *Dissertatione Morali & Juridica*: Si tortura sit medium securum ad detegenda & probanda crimina occultata, contemniturque parum conveniens & Christianum esse medium; plurimis sæculis apud nos incognitum; multis incommodis, præsertim in inquirendis & examinandis maleficis obnoxium; meritòque ejus usum abrogandum non minore ratione, quàm purgationum vulgarium, quarum usus non minus probatus & stabilis aliquando fuit.

XXXIX. Quidquid sit de hujus & quorundam etiam